

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Sanctae Mechtildis virginis ordinis Sancti Benedicti Liber specialis gratiae**

**Mechthild <von Hackeborn>  
Mechthild <von Magdeburg>**

**Pictavii, 1877**

Caput XXXI. Gratiarum actio pro completionem istius libri.

[urn:nbn:de:bsz:31-60070](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-60070)

præsentia frequentissime specialiter in festis eorum frueretur. Sed nulli absurdum videatur si nostri temporis, in quod fines sæculorum, imo fæces omnium vitiorum, et tædia bonorum devenerunt, hominem unum omnibus cœquavimus Sanctis, cum beatus Gregorius super Ezechiele dicat : quod Deus de die in diem homines majori cognitione illustrare, et secreta sua eis amplius revelare dignatur, et processu temporis spiritualium scientiam augeri, introducens illud Danielis Prophetæ de ultimo tempore dicentis : *Pertransibunt plurimi, et multiplex erit scientia.* (DANIEL, XII. 4.) Dicit etiam sic : Moyses plus quam Abraham, Prophetæ plus quam Moyses, Apostoli plus quam Prophetæ cognoverunt. Sicut David de se testatur dicens : *Super omnes docentes me et super senes intellexi.* (PSAL. CXVIII. 100.) Legitur etiam in *Vitas Patrum* quod sancti Patres de ultima generatione prophetabant dicentes : Homines tunc temporis fore negligentes, sed tamen qui inter eos perfecti fuerint, super nos et patres nostros meliores erunt.

Magis in  
die  
mundum  
Deus  
illustrat.

## CAPUT XXXI.

GRATIARUM ACTIO PRO COMPLETIONE ISTIUS LIBRI.

**B**ENEDICTUS sit Dominus Deus omnis gratiæ, cujus dono et voluntate hic Liber editus est; nequaquam propria deliberatione et præsumptione scribentium, sed consilio et præcepto Domnæ Abbatissæ suæ<sup>1</sup> et consensu Prælati sui.

1. Hæc Abbatissa fuit Sophia de Mansfeld, quæ post Gertrudem de Hackeborn Abbatiale munus implevit, et tantum post annum MCCXCVIII, quo beata Mechtildis obiit, officium præ gravi morbo dimisit. Prælati, forsitan Præpositi monasterii, vel Episcopi Halberstadt.

Ipsa etiam Christi ancilla, cui hæc omnia a Deo sunt inspirata et revelata, librum hunc legit, approbavit et correxit; quod hoc modo evenit.

Nocte quadam in oratione Dominus eidem apparuit librum hunc tenens in dextera sua apertum. Hoc cum duabus scriptricibus suis indicasset, rogans ut sibi librum ostenderent, et illæ hoc se facere non posse dicerent, timentes ne forte tristaretur, illa mœrore ducta dicebat se nunquam velle consolari, donec quid de eascripserint, videret. Sequenti iterum nocte posita in oratione, vidit gloriosam Virginem puerum elegantissimum ulnis gestantem. Cui dum se humiliter prosternens causam tristitiæ suæ exponeret, illa puerum dabat dicens: « Accipe Filium meum mœrentium consolatorem, qui tuum omnino potest lenire dolorem. » Quem illa gratanter accipiens, mœrorem suum illi similiter est conquesta. Ad quam Dominus: « Noli timere; ego totum feci. Meum est ergo omne opus illud. Ego dedi tibi, et tam veraciter sicut de Spiritu meo accepisti, ita vere eas meus compulit Spiritus ut scriberent et elaborarent. Noli ergo timere, nihilque in eo deleas. Ego quoque a læsione et ab errore eum conservabo. » Dansque illi magnam spiritus certitudinem, de veritate ejus ita dixit: « Omnia verba libri hujus veraciter de Spiritu meo conscripserunt, et in coronis earum coram oculis meis sine fine lucebunt. »

Sicque omnem tristitiam ejus omnino ab ea tulit, ut ex die illa ostenderint ei librum quandocumque vellet, et ex integro coram ea perlegentes, excepto prologo et finali. Et quidquid in eo invenerunt, de cujus veritate suspicabatur, statim cum primo potuit a Deo requisivit, et sic Dominus ipsa mediante Libri hujus corrector fuit.

Dominus  
ipse librum  
commendat.